

Łęczyca, 13 lipca 1414

*Król Władysław [Jagiello] informuje władców duchownych i świeckich, rycerstwo i miasta chrześcijańskie, że zakon krzyżacki mimo pokojowego nastawienia Polski wciąż dąży do wojny. Przypomina sprawę zabitych w Prusach kupców oraz pohańbienie kobiet zdążających tam z pielgrzymką. Krzyżacy odmawiali też uznawania czynności arbitra, króla rzymskiego i węgierskiego Zygmunta [Luksemburskiego] oraz mianowanego przez niego subarbitra Benedykta Makraia. Po tym, kiedy król Zygmunt przekazał prowadzenie procesu arcybiskupowi ostrzyhomskiemu [Janowi Kanizsaiowi] i [palatynowi] Mikołajowi Garaiowi zakończył się on bez rozstrzygnięcia. [Inne] próby zawarcia zgody z Zakonem nie przyniosły także sukcesu, mimo usunięcia z urzędu wielkiego mistrza zakonu krzyżackiego [Henryka von Plauena]. [Krzyżacy nadal] nie zmienili swojego nastawienia i wciąż prowokują króla do wojny. Jego dostojnicy uważają, że powinien bronić praw swoich i Królestwa. Król zapewnia o swoim pokojowym nastawieniu i wzywa, aby adresaci nie dawali wiary kłamliwym oskarżeniom Zakonu pod jego adresem.*

**Kop.:** GSPK, XX. HA, OBA, nr 2103, pap., łac., złożona karta, wym. 320 × 215 mm, na k. 2 notatka ręką z pierwszej ćwierci XV w.: Copie des uffenen clage brieffs des konigis von Polan an alle fursten, rittere und knechte, *dziewiętnastowieczna notatka o dacie rocznej listu: 1414, stara sygnatura i prostokątna pieczęć archiwum królewieckiego.*

**Wyd.:** CDL, s. 183–187.

**Reg.:** Skarbiec, t. 2, nr 1061; CEV, nr 589; RHD 1/1, nr 2103.

<sup>a</sup>Universis et singulis principibus spiritualibus et secularibus, ad quos presentes pervenerint Wladislaus Dei gracia rex | Polonie Lytwanieque princeps supremus et heres Russie etc., salutem et perfectam in Christi amore caritatem! | Nobilibusque [s] spectabilibus et famosis, baronibus, proceribus, militibus, clientibus, capitaneis, burgrabiis, tenentariis | castrorum, civitatum et fortalicionum gubernatoribus, senatoribus, consulibus, advocatis, magistris civium, communitatibus et rectoribus eorundem ceterisque omnibus Christiane religionis cultoribus presentibus requirendis amicis et benivolis grate nobis dilectis! Sinceri favoris affectum et gracie complacencie firmitatem! Reverendissimi in Christo patres, fautores preclari et magnifici principes, fratres nobilesque, spectabiles ac famosi amici nobis sincere dilecti! Universitatis vestre sepe memorie comendasse meminimus, quomodo dum inportabilibus dampnis, iniuriis, depopulationibus, offensis, contumeliis et oneribus, que amplius nulla sufferre potuimus racione contra Cruciferos de Prusia, a quibus nunquam equalitatis compendia habere potuimus, quamquam coram ipsius vestre universitatis magnificencia ipsos pro eis continua pulsavimus frequencia, convicti arma levassemus et bello comisso cum ipsis, heu dolor, egressivo ab altoque recepta victoria omnes terras, dominia, castra, civitates et opida ipsorum in brachi virtutis Dei recepimus et nostre subiecimus dicionis. Moti tamen ad eos piis visceribus [s], ne fides Christi aliquo modo videretur nostris mocionibus decrescere, terras, castra et bona cum innumera multitudine captivorum, quos in prelio in nostre captivitatis mancipia receperamus, qui pro sue redemptionis captivitate infinite pecunie pollicebantur nobis dare quantitatem, restituimus ex integro, pacis nobis comoda putantes sic mercari, que semper cum fidei domesticis quesivimus et querimus incessanter. Tunc cum ipsis pacis fedus perpetue vix multis laboribus et conatibus contraximus omni tempore duraturum et iam nullius hostilitatis incursus ab ipsis nobis formidabamus imminere, nichilque habuimus aliud in conceptu, nisi pro incremento fidei orthodoxe ipsorum et aliorum Christianorum conquisitiis subsidiis cornua infidelium et inimicorum Crucis Christi, quibus undique dominia nostra sunt obsita in virtute Dei exercituum conculcare, sicque militando reliquum vite nostre in Domino voluimus feliciter et prospere terminare. Sed audite quesumus audite [s], qualiter

viam propositi nostri precluserunt, qui tam salubris operis exercicia in nobis labe corrupti invidie despexerunt, nam continuo post contracta pacis federa, que ipsi nec servare inceperant durioribus persecucionibus obrobriis et contumeliis, quam ante nos et Regnum nostrum lacessere temptaverunt, tunc terras nostras et bona Regni nostri et nostrorum confederatorum publicis incendiis, vastacionibus, spoliis, depopulacionibus et angustiis inenarrabilibus sub extensis baneris affecerunt, tunc mercatores nostros, qui in spem pacis huiusmodi, quam semper credebant duraturam, ad terras ipsorum cum mercantiis et rebus venalibus negociantes vel quacunque alia causa tociens quociens transiverunt, inhumana crudelitate, similiter et coniuges ipsorum, que ipsos sunt comitate et infantes adhuc ad ipsarum pendentes ubera perimerunt. Sed et alias feminas nobiles delicati sexus et matronas peregre proficiscentes ad sacra edes et sanctorum limina, qui in ipsorum terris dicuntur miracula corrustare, quod pude referre et dolor est reminisci, ab usu fedatos venereo alias in undis submerserunt alias truncaverunt cervicibus et alias variis tormentis deficere coegerunt. Ostupendum potentum et crudele exicium, que omnem excedunt ad serviendo [s] et nulla equata tyrannidi poterint respondere, legite conografos [s]<sup>b</sup> et gesta, que vetustas transacta commemorat usque ad huius etatis tempora, non invenietis, quis unquam tanta abhonoracione in Christifidelibus desevisset. Et licet hiis et aliis iniuriis cottidie fatigaremur ab eisdem tamen cedere et sangwinis Christianam profluvia nimium abhorrentes voluimus ea benignitatis nostre paciencia moderare et sepe per litteras nostras et nuncios ipsos hortabamur, ut pacis confecte et tanta soliditate firmate recolentes desisterent nos prosequi et equalitatem pro illibatis nobis iniuriis etc. largirentur, sed nusquam ab eis habere potuimus responsivam, verum semper nobis insultantes, que peiora potuerunt nobis et Regno, principibus et coadiutoribus nostris. Tunc et post convenciones et terminos placitorum, que cum ipsis post festum Pasche [8 kwietnia 1414] servavimus irrogarunt et quamvis proinde magistrum generalem Ordinis<sup>1</sup> |de| se deposuisse fateantur, tamen nobis et nostris subditis et coadiutoribus pro eis, que nobis intulerunt nullam equalitatem aut satisfaccionem advertunt exhibere. Concurrit ergo ad nos nostra baronia, milicia et tota Regni communitas hortantes et monentes nos, ut exuta pussillanimitate et inertia ad propulsandum tot mala, tot causas, tot ruinas, tot exicia virilem animum recipere et ad arma consurgere dignaremur. Quorum tumultum non valentes sustinere et iam nobis et Regno nostro extrema contemplantes imminere, dispendia incepimus contra ipsos nos armare, quod ut serenissimus princeps dominus Segismundus [s] Romanorum et Vngarie rex<sup>2</sup>, frater noster carissimus, intellexit, vum magna instancia nos petivit, ut arma deponere et sue decisioni arbitrio, discussioni<sup>c</sup> que inter nos et dictos Cruciferos gerebantur, evellere commiteremus, cuius petitionibus desiderantes pacis gaudere dulcedine illico consensimus et pro omnibus displicenciis, rancoribus et offensis, dampnis, vastacionibus, depopulacionibus etc. de alto et basso in ipsum compromissimus et duorum annorum arbitrando et decidendi tempus sibi concessimus per formam debiti compromissi. Sed tunc Sacri Romani imperii et reipublice occupatus negociis et non valens cognicioni cause huiusmodi intendere, venerabilem magistrum Benedictum [k. 1v] de Macra<sup>3</sup>, utriusque iuris licenciatum, nobis iudicem et subarbitrum deputavit, qui onus sic impositum suscipiens accesit partes nostras, ut rem subiceret oculis et melius super eis posset arbitrari, incepit metas, granicies, terras, dominia Regni nostri et Ordinis Cruciferorum dampna, iniurias etc. pro quibus a predicto domino Segismundo [s] arbitro principali arbitrando, iudicando et faciendi, que et ipso potuisset facere recepit potestatem, examinare testes et probaciones oportunas recipere et alias iuris processum debitum observare, cuius mandatis, processibus et execucionibus, quam vis sepe gravaremur ne ab arbitrio et a via pacis videamur declinare humiliter paruimus. Quibus ipsi Cruciferi alias pertinaciter obedire contempserunt, ymmo sepe minas sibi ingessertunt, prout hoc ipsum idem Benedictus publice coram vobis suis litteris patentibus est confessus. Quod autem et quantis vicibus nos, Regnum nostrum et coadiutores nostros pendente compromisso et causa huiusmodi turbaverunt longo contextu litterarum non possent explicari, pro quorum quilibet seorsum non indigne contra ipsos manum nostram

levassemus, tamen excelsiori desiderio pacem prosequentes et spectantes per viam amicabilis concordie facilius pro rigore iuris quo sopita negocia |negocia| rancores contendencium raro a corde evellere consueverunt, nostrum et ipsorum consulatum ad certum locum comportavimus cum magnis sumptibus, studio et expensis, ut per ipsos premissa sopirentur et ibi ad infima descendentes minimis volumus contentari, quamvis multo plura et maiora nobis ex sententia arbitrari si ipsum promulgari contigisset, prout ex predictis nostris percipere potuimus, provenissent. Ipsi autem sprete nostri oblationis mansuetudine, nullo fine nobiscum habito, impertinati superbia de loco convencionis recesserunt, sed tunc aucumantes propriis colloquiis magistrum generalem ipsorum ad pacis equalitatem potuisse imitare, personaliter cum ipso convenimus et ibi nos ad omnem minus sibi obtulimus sed nec per hoc proficere potuimus, quominus ipse magister tante humilitatis devocionem in nobis perimpendens, de intencione nostra informatus et expertus, habendo nos in derisum nulla nobiscum recepta conclusione prope ad propria se recepit, sicque frustra, labores et studia pertulimus cum per ea nullam equalitatem vel iusticiam potuimus reportare. Et ecce prefatus dominus Segismundus a sua procul agens patria causam nostram certis subarbitriis videlicet archiepiscopo Stragioniensi<sup>4</sup> [s] et Nicolao de Gara palatini Regni Vngarie<sup>5</sup> premissis prepeditis negociis delegavit, in qua ipsi aliquibus prosecutis et continuatis actibus tandem relinquerunt indecisam et terminus compromissi sub certo tempore limitatus expiravit, cuius cause decisioni cum magnis dispendiis et turbacionibus, que ab ipsis Cruciferis sumus passi biennio exspectavimus. Et quid amplius restat nobis faciendum, quanta difficultate perplectimur, ipsi nostis cum iusticia nobis defecit et nostre nos moniciones, hortamenta et requisiciones tociens ipsis incultata non supportantis, cum semper ipsi Cruciferi non cessant nos turbare et ad bella provocare. Nuper enim iam placitis, conventionibus et tractatibus predictis deductis, noviter nobiles et civibus Regni nostri struges lignorum infra fluvitantes sub spe pacis receperunt et suis usibus applicarunt, pro quibus et aliis premissis moniti per nostram maiestatem, nullam nobis facere voluerunt responsivam neque volunt, ymmo bella nobis comminantur de diversis regionibus contra nos conduxerunt et conducunt gentes plurimas armatorum, quorum insultus cottidie, die in diem exspectamus, ex quo igitur nullis persuasionibus ad equalitatem, quam parati essemus recipere poterint inclinari. Si aliis modis pacem et equalitatem invites et hiis nos cogentibus querere oporteat, petimus non imputet vestra sinceritas gloriosa, sed potius iusticie nostre, quam fovemus prestante Altissimo sinceriter subveniant hominibus vobis subiectis et aliis fideo catholice cultoribus prohibendo, ut eorum ad subsidia transferre non presumant et si nos quis coram vestra sinceritate insanis detraccionibus accusare voluerit, fidem et [s]<sup>d</sup> subtrahere velit creditivam, nam semper propria crimina in nostram retorquent maiestatem, quem ex premissis concipite et pro vanis atque falsis reputatis et tamquam veri zelatores iusticie et amatores equitatis<sup>e</sup>. Datum in Lancicia XIII mensis Julii anno Domini M<sup>o</sup> CCCC XIII<sup>mo</sup>.

<sup>a</sup> Inicjal wysokości ok. 3 wersów.

<sup>b</sup> Tak kop., poprawnie: chronographos.

<sup>c</sup> W kop. po tym wyrazie brakuje dopełnienia.

<sup>d</sup> Tak kop. zamiast ei.

<sup>e</sup> W kop. brak czasownika.

<sup>1</sup> Tj. Henryk von Plauen, komtur nieszawski 1402–1407, komtur świecki 1407–1410, wielki mistrz zakonu krzyżackiego 1410–1413, komtur pokrzywieński 1413–1414, prokurator w Lochstädt (Pawłowie) 1429, zm. 1429 (Hochmeister, s. 114–117; Jähmig, s. 289, 307, 309; Heckmann, s. 151, 319, 350, 410, 462, 575).

<sup>2</sup> Zygmunt Luksemburski, syn cesarza Karola IV Luksemburskiego i Elżbiety Pomorskiej, elektor brandenburski od 1378, król węgierski od 1387, król niemiecki od 1410, księżę Luksemburga od 1419, król włoski od 1431, cesarz rzymski od 1433, król czeski od 1419, zm.

1437 (J.K. Hoensch, *Kaiser Sigismund. Herrscher an der Schwelle zur Neuzeit (1368–1437)*, München 1996; S. Wefers, *Das politische System Kaiser Sigmunds*, Stuttgart 1989; *Sigismund von Luxemburg. Ein Kaiser in Europa*, hrsg. von M. Pauly und F. Reinert, Mainz 2006; *Kaiser Sigismund (1368–1437). Zur Herrschaftspraxis eines europäischen Monarchen*, hrsg. K. Hruza, A. Kaar, Wien–Köln–Weimar 2012).

<sup>3</sup> Benedykt Makrai z Csúcs, student uniwersytetu praskiego 1383–1387, magister sztuk tamże, następnie na uniwersytecie wiedeńskim, paryskim i padewskim, licencjat obojga praw, od 1408 w służbie Zygmunta Luksemburskiego, 1412–1414 wyznaczony przez Zygmunta Luksemburskiego subarbiter w polsko–krzyżackim procesie polubownym, świecki gubernator biskupstwa egerskiego 1420–1421 (W. Sieradzan, *Misja Benedykta Makraia w latach 1412–1413. Z dziejów pokojowych metod rozwiązywania konfliktów międzypaństwowych w Europie Środkowo-Wschodniej w późnym średniowieczu*, Malbork 2009, s. 21–31).

<sup>4</sup> Jan (János) Kanizsai, ur. 1350, spowiednik królowej węgierskiej Marii, żony Zygmunta Luksemburskiego, 1384 biskup egerski, 1387 kanclerz Węgier i arcybiskup ostrzyhomski; przeszedł na stronę Władysława neapolitańskiego i brał udział w uwięzieniu Zygmunta. W konsekwencji stracił urząd kanclerza i wpływy, które odzyskał w 1412 r., zm. 30 maja 1418 (*Magyar Katolikus Lexikon*, online: <https://lexikon.katolikus.hu/K/Kanizsai.html>, dostęp 2024–10–29).

<sup>5</sup> Mikołaj (Miklós) Garai, węgierski możnowładca, podczas buntu części możnych i wezwania na tron Władysława neapolitańskiego dochował wierności Zygmuntowi, w 1402 został palatynem Węgier, czołowy doradca króla, zm. 1433 (*Hrvatski biografski leksikon*, online: <https/hbl.lzmk.hr/clanak/8>, dostęp 2024–10–29).